



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Provinciæ Paraquariæ Societatis Jesv

Techo, Nicolas

Leodii, MDCLXXIII.

Cap. 20. Petri Romeri vitae series.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38528

CAPUT
XX.
Petri Ro-
meri vita
series.

Pueritia-

Studio.

Ad religio-
nem vocatio-

In Paraqua-
riam appul-
sue.

Vita.

Missiones.

CAPUT
XXI.
De Petri
Romeri
oratione,
mortifica-
tione &
obedientia.

Orandi affi-
ditas.

Efficiens.

Afflictandi
corporis stu-
dium.

PORRÒ Petrus Romerus, Hispali in Bœtica honesto loco natus, pænè infans cum parentibus in Occidentalem Indiam transmisit. Ibi puero res mira accidit: nam in rapido flumine navigans, cùm abreptâ aquæ impetu cymbâ conto ipse in profluente, auxiliis & natandi expers, adhæsisser, repente in ripam, nullo homine juvante, delatus est, Superis, ut piè credendum est, pueri corpus ab submersione servantibus, qui tot animas ex æterno naufragio crepturus erat. Joanni Ladradae, Carthaginis in America Episcopo, pio castoque è Sancti Dominici familia viro, à parentibus traditus, ita inter ephœbos juventam translegit, ut nihil antiquius haberet, quām optimi Præsulis mores in se transformare. Apud nostros homines non magis latinitate, quām Religiosa vitæ desiderio imbutus, Societatem nostram ambivit, jam tum ostendens, spredo Americano auro, animarum saluti se totum velle impendere. In eam spem Didaco Torres, primo Paraquariae Provinciali designato, in Quiteni regno adhærens, ad celebrem Americæ isthmum navigavit, rursusq; cum eodem obverso in mari navim concendit, denique longissimo itinere probatus, in ipsa navigatione Societati se, multorum mortalium bono, anno hujus saeculi septimo, ætatis vigesimo-tercio, mancipavit. Tyroni Didacus Torres optionem dedit, ut si vellet, in Quiteni provincia rebus jam constitutis pacatisq; frueretur; vel si in Paraquariam secum ire malleret, sciret plus quām sesquimille leucarum intervallo, per infesta ferocissimis hominibus loca, per montes frigoribus & altitudine terribiles, per paludes torrentesque, eundum esse; & dum eò per ventum esset, summam rerum inopiam in infinita prope locorum vastitate sustinendam. Verum hæc terriculamenta juvenem Christi Crucisque amatores invitârunt magis, quām retinuerunt: itaque nihil in deliberatione cunctatus, mediæ virtutis impatiens, arduam provinciam, in qua heroicorum facinorum materia sufficeret, eligens, Limam Peruvia metropolim contendit: unde in novam provinciam cum primis fundatoribus per Chilense regnum amissus, Cordubæ Tucumanorum tyrocinium continuatur, peragrata fermè totâ Meridionali Americâ, constituit. Ibi primus Paraquariensi Sociorum ritè religiosa vota concepit, confectoq; per compendium studiorum curriculo, cùm se Majoribus suis probasset, factis iniciatus, ad Guaicuræos amandatus, difficillima in palestra Apostolicæ exercitationis rudimentum felicissimè posuit: continuavitque deinceps per totos fermè quatuor & triginta annos varias Indorum provincias percorrere, tanto successu, quanto opus fuit ad adipiscendam viri plenæ Apostolici famam.

QUAMVIS verò continui per tot annos labores, itinera, navigationes, ærumnæ, pericula, quibus Romeri vita partes omnes nexus quodam concatenatae, nullum culturæ mentis otium reliquisse videantur; tamen si quis enucleatiū perpendit potentiarum internarum ornatum, ita se is perpolienda animæ dedisse putabit, ac si nihil egisset exterius. Præcipuum mentis cultum ab orandi studio semper quæsivit. Quotidie intempestâ nocte è somno surgens tres quatuorve horas in Divinis colloquiis impendebat. Huic exercitio succedebat Sacrificium: Sacrificio per alteram horam continuato, pro communicato sibi Corpore & Sanguine Christi gratiarum actio. Porrò diuturnum hoc orandi pensum sibi impositum, nulla defatigatio, itinera nulla, labores nulli interturbabant, satis ut appareret Divinam familiaritatem ei in summis deliciis esse, quam tanta constantia conjectaretur. A Diuino colloquio recedenti, sèpè vel nolenti crumpebant ignita verba, sensum animi in salutem animarum plerumque intenti prodentia; unde facile quivis conficiebat, apud Superos suam & cæterorum causam perinde agere. Profectò quām esset hujus eloquentiæ peritus, qua Deus ipse impugnatur, testantur tot Barbaris imprætrare salutis argumenta, adeò ut Romero Deus ipse identidem insulurasse videatur: *Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terra.* Corporis quoque afflictandi studium in Romero fuit eximum. Satis constat per triginta annos in rete pensili, aut humi, sine linteis, sine culcitra, nocturnam in ueste diurna quietem cepisse, quam singulis noctibus quatuor horis terminabat. Cupediarum osor, cibi potionisque modum naturali necessitate finiebat: vini usu

perpetuò